Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput III.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

collegio instruendos; ut bonis deinde artibus ac moribus exculti, suis popularibus plus non solum admirationis, sed etiam opis, afferrent.

Mortuam puellam ab inferis excitat, leprosum sanat.

Cap: III.

Mira subinde res Christi gregem auxit Cangoximae, et Francisci nomen illustrius fecit. Cangoximanus civis erat honestus ac dives, sed à Christiana religione alienus. Huic dulcissimam filiolam immatura mors subitò abstulerat. Itaque dolore amens, multa indigna faciebat dicebatque. Conveniunt ad eum inter alios neophyti aliquot cognati amicique, solandi gratia, & funeris celebrandi. Qui acerbissimo vocif-rarij sui gemitu ejulatuque moti, eum hortantur, ut Franciscum Xaverium, virum sanctum ex alio orbe quàm primum adeat, eius auxilium imploret: illum utique vitam extinctae puellae redditurum. Haud aegre ei persuasum. Ergo maestus pater, desiderio filiae stimulante, ad Xaverium accurrit: lacrymans rem exponit: suppliciter orat, suae ut orbitati ac solitudini consultum velit. Hic Franciscus vicem illius miseratus, statim cum Joanne Fernando, socio & comite suo, recipit se ad orandum Deum. Exinde gaudio alacer surgit, hominemque bono animo esse iussum dimittit, filiam eius vivam esse confirmans. Movit ea non ita barbaro, qui mortuam filiam haud dubiè exanimem reliquisset. Quocirca seu quòd ipse mendacii quodammodo argui, seu quòd Franciscus ab eius tecto abhorrere videretur, indignabundus recessit. Domum repetenti domesticus puer occurrit, puellam vivere ac valere nuncians. Itaque pater familias, repentè moerore in gaudium

in gaudium versus domum properat, reducem ab
inferis filiam videre festinans. Quam ut conspe-
xit, suis vix oculis credere: manantibusque gaudio
lacrymis sciscitari ex ipsa qui tandem se dedisset
adductam. Respondet illa, sibi vita functae teter-
rimos satellites praesto fuisse, qui protinus cor-
reptam deturbatum irent ad horrenda igni-
bus loca: caeterum repente duos egregios ad-
fuisse viros, quorum beneficio ex satellitum
manibus erepta extiterit a mortuis. Ad haec
paulisper haesit pater, stupore attonitus. Inde
Xaverij profecto id esse beneficium sentiens,
puellam ad eum duxit, grates acturus. At illa,
Franciscum comitemque eius intuita, primo ob-
stupuit: mox ad patrem conversa succlamat:
En, pater, hi ipsi sunt, qui me ab inferis exui
farunt. Tum ille cum filia ad Xaverij genua
provoluti, obortis lacrymis grates ei agere
coeperunt. Qui protinus magis alloquutus Chri-
sto Dei Filio, humanae salutis vindici, gratias
habere jubet. Nec frustra tantus miraculo
fuit, vita uni puellae reddita, compluribus
salutem peperit animorum. Quippe pater et
filia, caeterique domestici, ad Christum aggre-
gati. Et hoc exemplo alij ad implorandam
Xaverij opem, Christique fidem expetendam,
accensi. Inter quos, leprosus fuit honesto
loco natus. Hic certum hominem ad Franciscum
allegaverat, rogans ut ad se curandum accederet.
Et ille legatione benigne audita, occupatiores
excusans, eo unum ex comitibus suis miserat, mo-
nitum, quid facto opus esset. Is igitur aegrum,
ex Francisci praescripto salutatum, ter interrogat,
num fieri velit Christianus: annuentem mani-
in crucis morem ducta protinus signat, mox illi

rei: subitò crux lepram abstersit. Quorira ille
Christianis præceptis imbuitur, ac deinde bapti
mo lustratur. Hæc in Cangoximanæ ciuitatis
oculis gesta, cum alij tum Vincentius Pereira Lusi
tanus narrauit in India Franciscus Sociis enarra
uit, grauis quamuis magnæ rei Auctor, idemque
Xauerij, ut proditur, familiaris.

De Antonij Criminalis martyrio cognoscit.

Cap. IV.

Lætum rei Christianæ successu Xauerium haud leui dolore affecerunt litteræ eisdem ferè diebus ad eum ex India perlatæ, ex quibus de Antonij Criminalis morte cognouit. Is sicut supra ostendimus, Comorino promontorio à Francisco præpositus, re Christiana per quadriennium præclarè gesta, anno M. D. XLIX. haud multo prius quàm in Japoniam appulit Xauerius, martyrij decus laborum suorum præmium adeptus est. Nam cum magna Badagarum manus, Christianæ religionis odio accensa, ex finitimo regno Bisnagæ Comorinensem populabunda incursasset oram; Christiani, ut in re trepida, tecta protinus & vicos deserere: ad naues Lusitanorum, quæ tum fortè aderant, pro se quisque confugere cœperunt. Ibi in maximo puerorum ac mulierum tumultu Antonius, multis simul anxijs mens, hortabundus fugam trepidantibus expedire, instare cunctantibus, imbecillis opem ferre. Inter hæc aduentante hoste, veritus ne fortè Neophytorum aliquos à barbaris interceptos tormentorum acerbitas, à Christi fide abstraheret, decreuit, sicut poscerit, bonus pastor animam suam dare pro ouibus suis. Incitabatur à Lusitanis in suam nauigia, præsens periculum effugeret: sed ille, qui obliti sui sanctum consulebat saluti, puerorum maximè ac mulierum Joan. 11.

ac mulierum